OECONOMIA METHODICA CONCORDANTIARVM S. SCRIPTVRÆ.

OECONOMIA
METHODICA
CONCORDANTIARVM
S. SCRIPTVRÆ.

Bibliotheca Societ. Jesu Provinciae Tolet.
R-6285

OECONOMI METHODICA

CONCORDANTIARVM SCRIPTVRÆ SACRÆ:

AVTHORE GEORGIO BVLLOCO
SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE.

In qua quid (præter omnes hactenus impressas Concordantiarum editiones) præstitum sit, ad omnium concionatorum, & S. Theologiæ studiosorum commoditatem, quilibet ex præfatione Authoris facile intelliget.

SAP. XIIII.

Tua autem prouidentia ab initio cuncta gubernat, qui in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam

A 39 4



ANTVERP
Ex officina Christo-
prototypograp.
M. D. LX

BEATISSIMO AC SANCTISSIMO IN CHRISTO PATRI DOMINO GREGORIO DECIMOTERTIO PONTIFICI MAXIMO SALVTEM ET FELICITATEM IN CHRISTO IESV PRECATVR IMMORTALEM

GEORGIVS BVLLOCVS S. THEOL. PROFESS.

BEATISSIME Pater, cùm ab hinc pluribus iam annis, Oeconomiam hanc Concordantiarum Sacræ Scripturæ inchoassem; ac horum temporum calamitatibus, opere sæpius interpellato, ac disturbato, patria bis per hæreses profugus, his decem & tribus annis vltimis, terra mariq; iactatus (præter communem enim Catholicorum apud nos calamitatē, qua bonis scilicet & beneficiis omnibus exuti fuimus, in mari etiam, pestiferam hæresis ac hæreticorum infectionē fugiens, à piratis captus ac spoliatus eram) primò in Galliæ turbas per hęreticos excitatas, pòst in hæc Belgica, nimis iam ab iisdem perturbata, appulissem: ac in mediis tamen turbis, & publicis, & priuatis, opus hoc penè ad finem quem optabam tandem perduxissem; præter & publica, & priuata alia mala, quibus obrutus fui, & oppressus; allatus est etiam mihi, de obitu clarissimi viri Iohannis de Auene Abbatis Niniuensis, patroni mei singularis, tristissimus nuntius: vt opere ipso penè absoluto ac planè posthumo, inter reliquas meas curas, quærendus sit illi patronus. qua deliberatione, cùm per aliquot dies non parum suspensus ac sollicitus fuissem; tādem & in publicū, & in sollicitudinis meæ priuatæ solatiū; subitò orbi Christiano innotuit vestræ Sanctitatis Pontificatus: in quo vno cùm omnes boni (partim ob boni nominis vestri famam, partim ob illustria virtutum vestrarum insignia, partim ob rerum maximarum, & scientiam, & praxim; partim deniq;, quòd tam sine mora, vnanimi quodam omnium consensu diuinitus electio vestra increbruit) magnā, ac certam secundùm Deum spem, aduersus tot tantaque orbi impēdentia mala collocarent: tum verò, omnes Angli pij, qui vel per hæreses patria pulsi, vel in patria ab hæreticis oppressi, magnum inde solatium concepimus: sperantes fore, vt quemadmodum Gregorius primus, authoritate & auspiciis suis, Angliam ab infidelitate ad fidem Christianā primò conuertit; sic Gregorius decimustertius, eandem Angliam iam sæpius (proh dolor) relapsam, tandem ab hæresi, & schismate horum posteriorum temporum, auertet: ac suæ Sanctitatis pietate, prudentia, fortitudine, & felicitate, (vt alias oues Christi adhuc deuias) ad ouile Christi, Catholicam Ecclesiam, sede Apostolica fundatam, reducet. Quod cùm apud me cogitarem; meum esse putabam, vt quemadmodum subditi principes suos, in ipsis principatus sui initiis, auro (vt aiunt) coronario ac honorario salutare solēt; sic ego pro paruitate mea, hāc Concordantiarū sacrę Scriptu-

ræ Oeconomiam veſtræ Sanctitati offerrem. Quæ ſanè oblatio, etſi leuior ſit, quàm Maieſtas veſtra poſtulet; eò tamen videri poteſt conuenientior, quòd ſicut Deus Opt. Max. veſtram Sanctitatem conſtituit Oeconomum & diſpenſatorem domus ſuę vniuerſalem; ſic & veſtræ in primis Sanctitati Oeconomiã hanc Concordãtiarum ſacræ Scripturæ dedicarem. Cui enim potius dedicarem Oeconomiam Concordantiarũ ſacræ Scripturæ, quàm diſpenſatori domus Dei, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det menſuram tritici huius ſpiritualis in tempore: aut cui potius in tutelam traderem Oeconomiam Methodicam Concordantiarum ſacræ Scripturæ, quàm veſtræ Sãctit. omnis & ordinis, & concordiæ in Deo ac Dei domo, ſecundùm Deum authori ſummo? quã cuius vnius ſecundùm Deũ ſedi, etiam acceptam referimus, ipſam ſacram Scripturam, ipſiusq; authoritatem omnem autenticam. Aut quis deniq; ex officio, magis poſſit huic aut operi aut authori patrocinari? quàm veſtra Sãctitas, qui exemplo Chriſti protectoris omnium pauperum & pupillorum, communis es patronus, ac protector in terris ſummus. Et quamuis pro tantæ celſitudinis, ac ſublimitatis veſtræ faſtigio, hoc meum munuſculum humile ſanè, & (vt dici ſolet) leuidenſe videri poſſit: pro vigiliis tamen & lucubrationibus, pro ſudoribus, & ſumptibus in id impenſis (quia ſatis carè comparatum eſt) id veſtram Sanctitatem non aſpernaturam ſpero. ſed ſicut ſolet ſupplicibus ſedes Apoſtolica, auxiliatricem manum porrigere, ac patrocinium ſuũ orphanis & orbatis non denegare: ita hoc meum in Deo, qualecunque opus, quod pro oſculis pedum Sanctitatis veſtræ humiliter, ac velut ſanctiſſimis veſtris pedibus aduolutus offero, clementer id in veſtram tutelam ſuſcipere, Sanctitatem veſtram confido. Chriſtus Ieſus Dominus noſter, Beatiſſime Pater, pontificatum veſtrum & Remp. Chriſtianam fortunet.

Sanctitatis veſtræ

obſequentiſſimus filius, ac humilimus ſeruus,

Georgius Bullocus
presbyter.

REVE-

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, DOMINO MICHAELI MALENO, ABBATI NINIVENSI, GEORGIVS BVLLOCVS S. P. D.

REVERENDE *Pater, ac Domine de me bene merite, inſtituenti mihi Oeconomia analytica in Concordantias Sacræ Scripturæ dedicatoriã Epiſtolam, ad bonæ memoriæ virum Dominum Ioannem de Auene, prædeceſſorem veſtrum, patronum meum ſingularem; vt fert humanæ vitæ incerta conditio; acerbus ſanè nuntius de eius obitu aduenauit: qui omnes meas curas & cogitationes (partim in opere ipſo abſoluendo, partim in expectando diem illum, quo opus illud in manus illi traderem, occupatas) ita planè perturbauit; vt adhuc eas, vix aut ne vix quidem, vel diſſipatas colligam, vel diſturbatas aliquo modo leniam. Et quamuis more humano in iſtas voces erumpere verè potuiſſem, O verè fallacem ſine fide ſpem hominum! ô fragilem ſine ſpe & fide conditionem humanam! ô inanes omnes noſtras curas, non diuinas non de noſtris ac noſtrorũ nouiſſimis! O vitæ huius vanitatem longè vaniſſimam! ô quàm ſæpe in vita huius ſpatio corruunt conſilia noſtra (ſi qua humana): & antè in ipſo mortalitatis huius noſtræ curſu obruuntur, quàm vel portum optatum aſpicere poſſumus? Tamen cùm nec communem humanarum rerum curſum, homines dum ſumus, recuſare debemus; nec proprium (vt hunc) admodum calamitoſum aliter ferre, quàm aut recta ratio dictet, aut deceat Chriſtianum (hoc eſt ex ſolo Deo pendentem); mei officij eſſe iudicaui, non modò omnia eius in me beneficia perpetuò ob oculos ponere; ſed etiam, cur aut ei vni ſuperſtiti huius operis dedicationem deſtinaui, aut nunc eo defuncto, Beatiſſimo Patri Gregorio decimotertio dedicare præſumam, tibi eius ſucceſſori digniſſimo rationem reddere. Nam quantum vel ad illum adhuc in terris ſuperſtitem, vel ad me nunc tanto patrono orbatum; cui potius tum dedicarem, quàm illi, qui me ſibi tot tantisq; ſuis beneficiis deuinxit, vt habere illi gratiam aut agere deberem omni modo; referre autem alio quàm hoc vno, non potuiſſem quidem, cùm vellem vel maximè. Quantum verò ad ipſum opus ſicut non vidi, quem ei commodiorem patronum procurarem, quàm eum qui me (eius in Deo authorem) in ſuum toties patrocinium recepit: & ad operis editionem (etſi ergà me & opus meum talem ac voluit, non ſortiebatur effectum) ſummam pecuniæ non paruam contulit: ita cùm circa præmonſtratum & ordinem & vſum Concordantiarum ſacræ Scripturæ, hoc opus verſetur; non vidi (eo ſuperſtite quoad me) cui id potius quicquid eſt operis dedicarem; quàm illi vni, qui adhuc ſuperſtes, non minus præclarum decus in ordine Præmonſtratenſi fuit, quàm ordo ipſe alioqui illuſtriſſimus, tum columna Eccleſiæ Catholicæ neceſſaria, tum præſidium per orbem diffuſum exiſtit: etſi nulla eius in me beneficia eſſent, quæ certè vel multo maxima fuerunt; ſiue quod me bis patria per hæreſes pulſum, affectu verè paterno proſecutus, ac duos primùm apud ſe tenens annos, munificè ſuſtentans; poſt etiam & vltima vice, à Lutetia Pariſiorum paternis ſuis literis ad ſe accerſens; ad annos octo cum meo amanuenſi amantiſſimè ſuſcipiens, liberaliterq; in omnibus ſubleuans & exornans: tot tamen tantaque fuerunt eius in alios omnes, & priuatim & publicè opera pia; tantus virtutum omnium concentus, in eius vnius conuerſatione; tanta ſpeculationis & praxis ipſius Sacræ Scripturæ, in eius vnius tum dictis tum factis, diuino quodam iudicio diſpoſitis concordia, tam manifeſta quadam concor-*

dantia;

dantias; vt huic vni adhuc superstiti, hanc ipsam Concordantiarum Sacra Scriptura Oeconomiam dedicare debuissem. Quis enim, in quo vel quoad Deum, magis vilucebat religionis & viri verè religiosi, exemplar viuum? vel quoad homines, qui in pauperes & afflictos omnes magis munificus? Quis in tanta rerum omnium affluentia, aut tam frugalis aut magis sobrius, aut monastica perfectionis strictam illam semitam magis ingressus? Quetiam, praeter quotidianam eleëmosynam, & eam quidem largam; tot pauperes pensionarios habuit? tot pauperum & obaratorum filios, partim in Academia, partim aliis in schlis, sustentauit? Et, (quod genus eleëmosyna hoc nostro seculo vel eo magis meritorium, q— proh dolor plures monachis & monasteriis detrahant) quis claustra cuiusque generis, aut obaerata, aut ruinosa munificentius subleuauit? sibi soli pauper, aliis diues, & perquam liberalis. In victu & vestitu vulgaribus, & vilioribus contentus: consilio vir profundo, & admodum prouido: qui tantum abfuit ab omni pompa mundana, quantum affinis fuit simplicitati, & modestiae verè monachali. Quae omnia & singula eius ornamenta vt me mouissent, has nostras in Cõcordantias Sacra Scriptura lucubrationes ei superstiti dedicasse; sic nunc eo defuncto, & alia multa, & quoad opus ipsum maiora, qua me nunc monent & mouent, vt illud soli Summo Pontifici dedicarem. Cui vnim potius dedicaretur Oeconomia in Concordantias Sacra Scriptura, quàm ei qui ex officio, dispensator est domus Dei generalis, quem constituit Dominus super familiam suam? quàm illi vni, qui secundùm Deum, omnis & ordinis & concordiae in domo Dei Ecclesia author est vnicus? quàm cuius vnius fedi (vt sacra omnia) sacram ipsam Scripturam, omnémque eius authoritatem autenticam, accepta referunt omnes. Aut cui me tanto patrono orbatum, ac opus hoc meum planè postumum committerem; quàm vicario Christi vniuersali? qui vel Christi exemplo, omnium derelictorum & humano praesidio destitutorum communis est patronus. in Domino nostro Iesu Christo, cui paternitatem vestram cum vniuerso conuentu commendo.

Ex monasterio Sancti Michaëlis Antuerpiae VIII. *Iulij.* M. D. LXXII.

R. Vestrae paternitatis studiosiss.

Georgius Bullocus presbyter.

PRAE-

PRAEFATIO, SEV INTRODVCTIO IN PRÆSENS OPVS.

QVM multo maximas Deo Opt. Max. gratias agere debeamus, vt omnium authori bonorum: tum vel imprimis, propter concessos generi mortalium Sacræ Scripturæ libros; & quòd, in tanta rerum omnium corruptela atq; confusione, eos ita sartos, tectósque tot seculis custodiuit, vt nullum iam scripti genus extet, quod cum eis aut antiquitatis nomine, aut authoritatis pondere conferri queat. Et cum omni seculo, vt veritatem, sic veritatis verbum Sacram Scripturam, in seculo custodiuit: tum hoc seculo (nescio an alio nomine felici) suos in ministerio verbi dispensatores excitauit: qui eosdem Scripturæ Sacræ libros, vel obscuros illustrarent, vel literæ cortice, & mysteriis clausos, adaperirent. Et cùm Esaias, considerans in spiritu, Sacræ Scripturæ vel intelligendæ difficultatem, vel frangendæ (vt intelligi queat) necessitatem, vel denique frangentium paucitatem, exclamare coactus fuerit: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Nunc tamen tot tantósque Deus excitauit frangendi verbi expertissimos dispensatores: vt deplorare magis possimus paucitatem; aut verè paruulorum in oculis suis, aut humiliter petentium, sibi panem verbi frangi: quo plures, in omni genere frangendi peritos & expertos, in vineam suam immisit. Olim verò, adeo non omnino fractus hic panis verbi fuit; siue quo ad eius variam translationem, siue quoad eius tractandi multiplicem formam; vt nec in vnam, aut alteram linguam authenticè conuersa haberetur, nec ipsi eius libri, aut ordine digesti, aut in capita distincta, ederentur. Hodie verò (siue translationis veritatem, vel veritatis vnius in tanta varietate concordiam catholicam spectes) magno profectò Dei beneficio nobis in manibus versantur Biblia Sacra: in quibus, tum linguis ipsis antiquis, suisq; characteribus omnia expressa; tum verò, earum ex verbo translationem ita exactam habemus: vt nihil videatur, in illa re posse vlterius desiderari. Quod vt PHILIPPO SECVNDO HISPANIARVM REGI (cuius mandato & sumptu nõ exiguo excusa sunt) ita singulari eruditioni, & incredibili diligentiæ Benedicti Ariæ Montani Hispalensis, debemus. Si autem variam & veram tractandæ Sacræ Scripturæ rationem consideres; quot viros insignes, quanta cum eruditione emergere videmus! qui ad superiorum excellentiam multa adiicere, multa hactenus nõ inuenta, excogitasse videntur. Inter quos sunt Illust. vir, D. Georgius Ederus vtriusque I. D ac Cæsareæ Maiestati à consiliis: & Reuerendus in Christo Pater, re ac nomine Benedictus doctor Parisiensis: quorum ille in sua illa Sacrorum Bibliorum vniuersali Oeconomia, omnes Sacræ Scripturæ libros, atque adeo singula eorum capita, cum suis accessoriis, in generales quasdam tabulas redegit. Hic verò singulas pæne Concordantiarum Sacræ Scripturæ voces, in suas multiplices significationes, distribuit & deduxit. Quorum ego diuina, & plena scientiæ ac zeli exempla intuitus, cumq; multiplici frangendi forma & fractionis fructum creuisse considerans: atque ita creuisse, vt quo in minora indies fragmenta, & quasi minima frusta frangeretur panis Sacræ Scripturæ, eo magis (ad exemplum panum ac piscium, vel ipsa fractione & distributione multiplicatorum, in Christi illo miraculo, huius & fractionis, & distributionis mysterio) vel ipsa fractione, & distributione, multiplex etiam in eius vel intelligendi facultate, vel explicandi facilitate, accresceret & ædificatio: conatus sum, singularum vocum in sacris Scripturæ concordantiis, vel eo magis & ordinem, & vsum, & synonymiam, & homonymiam, & sensum, & consensum, & applicationem, secundùm earum siue rationem, siue relationem multiplicem, ita per vniuersum huius Oeconomiæ corpus ordine quodã analytico digerere: & ita in tabulas analyticas, tã vniuersales quàm particulares redigere; vt non solùm omnia quæ vllæ antea Concordantiæ, etiam maiores, habebant; sed & insuper quamplurima, in illis hactenus multum diuque desiderata, contineant. Quod sanè meum studium non omnino ingratum studiosis futurum confido: quòd prima laus ipsorũ sit, qui primi per se vtilia humano generi inuenerunt, secunda autem eorum qui aut alienis bonis inuentis bene vti nouerunt, aut eis aliquid de suo addere studuerunt. Tertia verò (quam si non assecuti, at secuti tamen sumus) illis debetur, qui alienorum scilicet inuentorum aut multiplicem vsum, aut meliorem ordinem, aut commodiorem applicationem, præmonstrarunt, & suo sic labore in aliorum intrauerunt labores, vt, & suo & aliorum labore præuio, tam præsentium, quàm posterorum leuandis laboribus, incubuisse iudicentur. Qui verò, nec præclara per se inuenire, præ ignauia, nec aliorum præclaris inuentis vti præ inuidia volunt, hij, & sibi & aliis, inutiles æstimandi sunt. Sed *vincit Dei sapientia omnem malitiam: pertingens à fine vsque ad finem fortiter, & disponens omnia suauiter.* Necenim abbreuiata est manus Domini. nec ita omnia primis reuelauit temporibus, vt non his posterioribus, eo plura videatur reseruasse præsidia reuelanda, quo sunt, teste Paulo, periculosiora: vt vbi abundaret tempori iniquitas, ibi superabundaret in donis suis gratia Saluatoris. Singulæ autem ætates, sua sibi Dei dona, quæad eius gloriam, & ad Ecclesiæ suæ ædificationem conferrent, donata habuerunt. Hæc autẽ nostra vt nimis malorum inuentorum ferax; ita quædam sibi experitur à Deo indulta bona, quæ aut aliis seculis non ita innotuerunt, aut sine quibus, antè inuenta, aut non ita vtilia, aut non tam perfecta, aut non ita ordine, aut vsu ad omnia sint apta. Et quo plura indies, instigante diabolo, comminiscuntur mali in malum; eo plura, inspirante Deo, excogitant & boni in bonum. Quemadmodum autem omni tempore, nulla res omnibus magis necessaria, quàm aptus aut vsus aut ordo, verborum & rerum; ita nihil magis vtile, quàm in eis, & ordinis, & vsus, & applicationis, rectam rationem ac viam, vel inuenire, vel ostendere. Verum enimuerò, Sacræ ipsius Scripturæ, siue eius Concordantiarum, omnes & res & voces, commodiori & vsu & ordine & applicatione instruere, tantò ex se præclariora sunt humanis, diuina omnia. Pisistratus ille (aliàs licet illaudatus) vel eo nomine apud literatos plurimùm commendatur, quòd primus libros Homeri antea indigestos, in ordinem redegerit. Mercurius etiam, bene meritus de literis & literatis apud Græcos iudicatus est: non solùm, quòd solus apud illos primus (vt aiunt) aut literas inuenit, aut nomina rebus imposuit; sed etiam, quia imposita rebus nomina, in ordinem debitum redegit.

git. At verò, omnium salutarium scientiarum fontes & fundamenta, verba scilicet Sacræ Scripturæ, non solùm omnia in vtiliorem ordinem redigere, sed & eâdem opera, eorum omnium meliorem & vsum, & applicationem ostendere, eo magis operæpretium videri debet, apud omnes verè fideles (quibus solis, hic noster desudat conatus) quo meliores literæ sacræ, secularibus omnibus aut literis, aut scientiis: quoque minus sine sacris literis, recta ratione & ordine digestis ac distributis, mortales sese ad Dei verbum & voluntatem accómodare queant. Si autè ex optimis optima proponere præclarum; quæ meliora sacris literis? Si præclarius, vel optima meliori ornare aut vsu, aut ordine, aut applicatione (nunc dispersa colligendo, nunc confusa distinguendo, nunc obscura illustrando) cùm nec meliora secundùm Deum, sacris literis; nec melior ordo *in literis*, aut sacris, aut secularibus (vel omnium iudicio) ordine analytico; æquum est, vt eo magis in meliorem partem omnes accipiant boni hanc operá nostram, quò magis dedimus operam, diuinis humana subiicere: & optimæ materiæ optimam formam accommodare. Verùm, sicut Philoni architecto non sufficiebat, Athenis publicum ædificare armamentarium, nisi etiam Athenienſibus eius redderet rationem, ac omnem eius eis ostenderet & ordinem & vsum: ita nec mihi sufficere puto, hanc ipsam Oeconomiam Concordantiarum analyticam parasse in publicum studiosorum Sacræ Scripturæ vsum; nisi eius & redderem rationem, & vsum multiplicem, & applicationem ad cuiusque præsens propositum, finem & fructum describam. quod vt commodius expediam, primùm de opere ipso; pòst de me paucis dicturus sum. Et quantum ad operis rationem, atque Oeconomiæ ordinem, & formam: si quis me de Methodo analytica loquentem, aut pro ingenij sui modulo aut mei eloquij defectu, aut pro rei ipsius obscuritate, *aut institutionis suæ* in his & educationis ratione, minùs assequatur & intelligat; primùm id duobus, & illi & omnibus, huius resolutionis & artis expressissimis apud *Xenophontem* & *Gellium* vestigiis & exemplis, manifestissimis addam; & quasi ob oculos ponam. Meminit enim *Xenophon* nauis cuiusdam Phœniciæ, & eius quidem perangustæ: quæ cùm armorum, instrumétorum, mercium, ac supellectilis cuiusque generis, immensa varietate & copia repleta esset; singula tamen in ea, tam artificiosè collocata, tá soleti ordine disposita erant, vt, & sine impedimento per nauim discurrere, & ad manú rem quamq; in tanta rerú multitudine paratá habere & inuenire quisque posset. Narrat etá Gellius, Protagorá cùm adolescés esset, victus quærédi gratia, vecturas onerú corpore suo fecitasse: qui cùm de prox mo rure, Abderá oppidú, cuius fuit popularis, caudices ligni plurimos, funiculo breui circundatos, portaret: factus est ei ex ipso oppido egrediens, forte fortuna obuiá Democritus Philosophus: qui inuenè cum illo genere oneris tam impedito, tá incoibili, facilè atque expeditè incedentem admirans; propè accedit, & iuncturam posturamq; ligni, scitè peritéq; factam considerans, petit, vt gradum parúper sisteret. quod vbi Protagoras, vt erat petitú fecit. Democritus aceruú illum & quasi orbem caudicú, breui adeo vinculo comprehensum, & ratione quadá quasi Geometrica librari contineriq; animaduertens, interrogauit, quis fasciculum illum ita composuisset. cùm autem ille à se compositum diceret, desiderauit, vt totum dissolueret, ac demum in modum eundem colligaret. At postquam ille soluit, ac iterú similiter composuit; tum Democritus animi acrem, solertiamq; hominis non docti demiratus, ac tantum ordinis vsum in re tantilla considerás; mi adolescés, inquit, cùm ingeniú bene faciendi habeas, sunt maiora meliora-que, quæ facere mecum possis. Abduxitque eum statim, secumque tanquá ab viriorem bonorum omniú fontem, deriuasse: cùm de Deo & Sacra Scripura, epistola ad Volutianú dixit. *Hic est Philosophia, quoniá omnes omniú causa à Deo creatore sunt: Hic etiá Ethica, quoniá bona vita et honesta, non aliunde formatur, quàm cùm ea quæ diligéda sunt, & quemadmodum diligenda sunt, diliguntur: hoc est, Deus & proximus: Hic logica, quoniá veritas lumenq; animæ rationalis, nõ nisi Deus est.* Vel secundò etiá, quòd subdiuidimus Moralia ipsa, in Bona, Mala, & Indifferentia: in hoc, etiá Diui Hieronymi ad Demetriadé scribétis, premonstratú ad hoc ipsum exemplú sequuti sum⁹: cú dixit. *In Scripturis diuinis, per quas ſolas potes planè intelligere Dei voluntatẽ, prohiberi quædá, præcipi quædá, concedi aliqua, suaderi nõnulla: prohibẽtur mala: præcipiũtur bona, concedũtur media, suadẽtur perfecta.* Vel denig; quòd tertiò quasdá voces, vt primá illam vocé, [Deus,] ad planiorẽ earú intellectú distinguimus: author est etiá Augustinus (si non alius) *Psal. 81.* super versum, [*Deus stetit in synagoga deorũ.*] *Deinceps*, inquit, *quæritur, vtrũ patrẽ an filiũ an Spiritum sanctũ, aut ipsam Trinitatẽ, accipere debemus si etiſſe in ſynagoga Deorum. quia & ſingulíſq; Deus eſt, & ipſa Trinitas Deus vnus eſt, nõ eſt facile elicere.* Atque hæc hactenus, quantú attinet ad Oeconomiæ nostræ rationẽ, in distribuédis Concordantiarú verbis. Vt verò deinceps aliquid dicamus de eiusdẽ, i. de eorú applicatione, ordine, vsu, fructu & fine. Quantú sanè pertinet ad applicationẽ Oeconomiæ multiplicẽ, secundùm cuiusq; propositú; ante omnia videndú cuiq; est, quid illud sit quod sibi tractandum proponat. quid itẽ sit, ad quod potissimú illud applicare intẽdit. Secundò, consideret vtrú caput, seu locus aliquis cómunis sit, & ad quẽ locú cómunem referatur: quot, & quæ sub se cõplectatur: aut quæ aliquo modo, ad illud referenda veniant. Exépli causa, vt intelligant omnes quomodo singula Oeconomiæ verba ordine illo analytico digesta, rectè, cómodeq; applicáda sint; pro re nata, à prima eiusdem Oeconomiæ voce Deo indicabimus. Primò obseruandú quòd Deus in genere, dicitur Dominus, veritas, spes, charitas, rex, ductor, dominator, amicus, inimicus, laus, dignitas, lex, altitudo, solus, vnus, incommunicabilis, pars, facies, pes, nomen, virtus, vultus, brachiú, spiritus vitæ, sanctitas, maiestas, potestas, sedes, thronus, vestimentú, murus, facies gladij, virga. Secundò autem, sicut etiá ordo postulat analyticus, & veritas ipsa fert; inuenies [Deum] præter hunc generalem catalogum synonymorum, etiam personaliter distinctú: vt cùm prima persona in diuinis, dicitur, Pater, sabaoth, abba pater, os, Deus creator, omnipotens, diues, agricola, faber, factor, vterus. Secunda autẽ persona, filius Dei, Iesus Christus, filius hominis, Messias, Emanuel, vnigenitus, primogenitus, mediator, medium, medius, Nazarenus, Sanctus sanctorũ, lux, lumen, sapiẽtia Dei, imago Dei, verbú Dei, verbú vitæ, signum, sermo, os, manus Domini, brachiú Dei, angelus, paruulus, puer, minister, seruus, oriens, vir dolorú, sacerdos, rex, propitiatoriú, hostia, pascha, templú, arca, altare, fundamentú, ostiú, cithara, candelabrú, panis, clauis, vas, macería, murus, turris, Sol, Lucifer, fons, petra, lapis, os, radix, semen, germen, flos, lilium, lignum, vitis, agnus, ouis, vitulus, aries, pellicanus, catulus, leo, vermis, sedes, cõresuscitatio, gratia, sacerdotiú, sacerdos, saluator, salus, salutare, salutaris, saluatio, redemptio, redemptor. Tertia deniq; persona, Spiritus sanctus; dicitur digitus Dei, osculú, ignis, colúna, ventus, pignus, oculus, flamma, aqua, flumen, nubes, torrens, speculú, sonus, volucris, colúba, &c. Quorú omniú, & cognitio, & distinctio, & ordo & applicatio; vt necessaria, in omni tractatu de Deo, siue generali siue particulari: sic ad cuiusq; particulare propositú aptius accómodari potest, quis

quis non videt, Diuú Augustinum hæc tria vel ex prima illa voce, Deus, tanquá ab viriorem bonorum omniú fonte, deriuasse: cùm de Deo & Sacra Scripura, epistola ad Volutianú dixit. *Hic est Philosophia, quoniá omnes omniú causa à Deo creatore sunt: Hic etiá Ethica, quoniá bona vita et honesta, non aliunde formatur, quàm cùm ea quæ diligéda sunt, & quemadmodum diligenda sunt, diliguntur: hoc est, Deus & proximus: Hic logica, quoniá veritas lumenq; animæ rationalis, nõ nisi Deus est.* Vel secundò etiá, quòd subdiuidimus Moralia ipsa, in Bona, Mala, & Indifferentia: in hoc, etiá Diui Hieronymi ad Demetriadé scribétis, premonstratú ad hoc ipsum exemplú sequuti sum⁹: cú dixit. *In Scripturis diuinis, per quas ſolas potes planè intelligere Dei voluntatẽ, prohiberi quædá, præcipi quædá, concedi aliqua, suaderi nõnulla: prohibẽtur mala: præcipiũtur bona, concedũtur media, suadẽtur perfecta.* Vel deniq; quòd tertiò quasdá voces, vt primá illam vocé, [Deus,] ad planiorẽ earú intellectú distinguimus: author est etiá Augustinus (si non alius) *Psal. 81.* super versum, [*Deus stetit in ſynagoga deorũ.*] *Deinceps*, inquit, *quæritur, vtrũ patrẽ an filiũ an Spiritum sanctũ, aut ipsam Trinitatẽ, accipere debemus si etiſſe in ſynagoga Deorum. quia & ſingulíſq; Deus eſt, & ipſa Trinitas Deus vnus eſt, nõ eſt facile elicere.* Atque hæc hactenus, quantú attinet ad Oeconomiæ nostræ rationẽ, in distribuédis Concordantiarú verbis. Vt verò deinceps aliquid dicamus de eiusdẽ, i. de eorú applicatione, ordine, vsu, fructu & fine. Quantú sanè pertinet ad applicationẽ Oeconomiæ multiplicẽ, secundùm cuiusq; propositú; ante omnia videndú cuiq; est, quid illud sit quod sibi tractandum proponat. quid itẽ sit, ad quod potissimú illud applicare intẽdit. Secundò, consideret vtrú caput, seu locus aliquis cómunis sit, & ad quẽ locú cómunem referatur: quot, & quæ sub se cõplectatur: aut quæ aliquo modo, ad illud referenda veniant. Exépli causa, vt intelligant omnes quomodo singula Oeconomiæ verba ordine illo analytico digesta, rectè, cómodeq; applicáda sint; pro re nata, à prima eiusdem Oeconomiæ voce Deo indicabimus. Primò obseruandú quòd Deus in genere, dicitur Dominus, veritas, spes, charitas, rex, ductor, dominator, amicus, inimicus, laus, dignitas, lex, altitudo, solus, vnus, incommunicabilis, pars, facies, pes, nomen, virtus, vultus, brachiú, spiritus vitæ, sanctitas, maiestas, potestas, sedes, thronus, vestimentú, murus, facies gladij, virga. Secundò autem, sicut etiá ordo postulat analyticus, & veritas ipsa fert; inuenies [Deum] præter hunc generalem catalogum synonymorum, etiam personaliter distinctú: vt cùm prima persona in diuinis, dicitur, Pater, sabaoth, abba pater, os, Deus creator, omnipotens, diues, agricola, faber, factor, vterus. Secunda autẽ persona, filius Dei, Iesus Christus, filius hominis, Messias, Emanuel, vnigenitus, primogenitus, mediator, medium, medius, Nazarenus, Sanctus sanctorũ, lux, lumen, sapiẽtia Dei, imago Dei, verbú Dei, verbú vitæ, signum, sermo, os, manus Domini, brachiú Dei, angelus, paruulus, puer, minister, seruus, oriens, vir dolorú, sacerdos, rex, propitiatoriú, hostia, pascha, templú, arca, altare, fundamentú, ostiú, cithara, candelabrú, panis, clauis, vas, macería, murus, turris, Sol, Lucifer, fons, petra, lapis, os, radix, semen, germen, flos, lilium, lignum, vitis, agnus, ouis, vitulus, aries, pellicanus, catulus, leo, vermis, sedes, cõresuscitatio, gratia, sacerdotiú, sacerdos, saluator, salus, salutare, salutaris, saluatio, redemptio, redemptor. Tertia deniq; persona, Spiritus sanctus; dicitur digitus Dei, osculú, ignis, colúna, ventus, pignus, oculus, flamma, aqua, flumen, nubes, torrens, speculú, sonus, volucris, colúba, &c. Quorú omniú, & cognitio, & distinctio, & ordo & applicatio; vt necessaria, in omni tractatu de Deo, siue generali siue particulari: sic ad cuiusq; particulare propositú aptius accómodari potest, quod particulariter de Deo dicitur: verbi gratia. Si de hoc ageretur, quòd Deo parendú est, optimè facillimeq; inde infertur; quia Domin⁹ dicitur: si, quòd incorporeus, quia spiritus dicitur: si quòd nec fallere nec falli potest, quia veritas est: si, quòd in eo sperandú, & ab eo pendendum, quia spes est, si quòd amandus, quia charitas: si, quòd ab eo regi & duci oporteat, quia rex est; quia Dux est: si, quòd peccare timeremus, quia inimicus est peccati: si, quòd eú nihil latet, quia lux: si, quòd ei omnia subiecta, quia altitudo: si, quòd nemo ei æquándus, quia solus, vnus, & incómunicabilis est: si, quòd vita nostra, quia spiritus vitæ est. Atq; hæc de Deo in genere: sine quibus, vel omnibus, vel aliquibus cõsideratis, nemo de Deo aut cogitare, aut loqui, ita ac par est distinctè, et appositè potest. Iam verò personaliter de Deo loquẽdo: veluti, de Deo Patre. Si quis persuadere velit, vel quòd principiú sit, vel quòd ei parendú, vel quòd honorandus; ex eo patet, quia pater dicitur: si, quòd inuictus, quia Deus Sabaoth dicitur: si, quòd omniú pater, id est Iudæorú & gentiú, quia dicitur Abba pater: si, quòd omniú opifex, quia creator: si, quòd nihil ei impossibile, quia omnipotẽs: si, quòd diuitiis cæleſtibus superabundat, quia diues: si, quòd suos & curat, & colit, quia agricola. Similiter, de Deo filio loquẽdo, ostẽdi potest, quòd Deo dilectus sit; & eiusdẽ substantiæ cũ patre, quia filius: quòd saluator mũdi, quia Iesus, quia Messias, quia Adonai est: quòd vnctus Domini, quia Christus: quòd verus Deus, quia Dei filius: quòd verus homo, quia filius hominis: quòd solus de substantia patris, quia solus & vnigenitus, & primogenitus: quòd reconciliati sumus Deo per illú, quia mediator Dei & hominú: quòd sanctificati sumus per illú, quia sanctus sanctorú: quòd per eú Deus innotescat, quia imago & verbú Dei: quòd nihil nõ sciat, quia sapientia Dei: quòd omnia creauit, quia manus & brachiú Domini, & verè creás est: quòd missus in mundú, quia angelus est: quòd simplex, & sine fictione ac malitia sit, quia humilis; quia paruulus; quia puer est: quòd ei seruire non dedignemur, quia Dominus est: quòd verè passus, quia vir dolorum: quòd propitiator, & intercessor apud Deú, quia sacerdos noster est; propitiatio nostra, hostia nostra, pascha nostrú, arca nostra, templú & altare nostrú: quòd eo nitimur, quia fundamentum: quòd per eú intrandú, quia ostiú: quòd nos delectet pulsando, & nos pulsitat delectando, quia cithara est: quòd sustentat lucẽ & lumẽ Ecclesiæ, quia candelabrú est: quòd pascit, quia verè panis: quòd aperit et claudit, quia clauis: quòd defensio nostra, quia macetia, murus, turris: quòd accédit, & illuminat, quia Lucifer, quia Sol: quòd nos gratiæ suæ rore irrigat, quia fons est: quòd firmus, fortis & patiens, quia petra; quia lapis: quòd nõ omnibus placet, quia petra scándali; & lapis offensionis: quòd omnis boni principiú, quia fons, radix, semen: quòd fructus omnis boni, quia germẽ, flos, liliú, lignum vitæ, & vitis: quòd innocés, quia agnus: quòd nostrú sacrificiú, quia ouis, aries, vitulus: quòd nos sanat suo sanguine, quia pellicanus: quòd generosus & validus, quia leo; & catulus leonis: quòd vilis reputatus, quia vermis dictus: quòd quies nostra, quia sedes: quòd saluat, sanat & sanctificat nos, quia sacerdotiú nostrú; Saluator noster, salus nostra, saluatio, redemptio, redẽptor, & saluare Dei. Deniq; de persona in diuinis tertia, id est, Spiritu sancto: Quòd creator sit, quia digitus Dei: quòd inflámat, quia flamma, quia ignis: quòd sustenteret, & sustentaculú sit, quia colúna: quòd nostra certitudo, quia arrha, & pignus: quòd illuminat, quia oculus: quòd purget, & lauet, quia flumẽ, aqua, torrẽs: quòd simplex & sine felle amaritudinis, quia columba est: & sic similiter de singulis aliis verbis Deo attributis. Quæ oía vt cõsiderãda veniũt,

volenti magis explicitè de Deo tractare: ita ex iisdem, alia etiá non minus necessaria, pro cuiusq; scrutantis varia indole, atq; iudicio, colligi possunt, ad præsens cuiusque propositũ. Iam verò si de Dei matre (quod ordine proximũ est) dicendum sit; præter propriũ [Mariæ] nomen, cũ multis, tũ in nouo, quã in veteri testamento cõmune; mystica etiá sua habet nomina: vt, Mulier, virgo, virga, rubus, terra, porta, fons, hortus. Si deniq;, aut de angelis in genere, aut de aliquo angelorum ordine in specie, aut vllo aliquo angelo singulari agendũ, non modò expedit habere proprias Cõcordãtias ipsius vocis [angeli,] sed & vocũ ei synonymarũ, & consentanearũ: vt, ignis, flammæ, spiritus, nubis, auri, lapidis, vitæ, maceriæ, volucris, ouis, manus, regis, principis, exercitus, vt deniq; militię cęlestis: quatenus istæ voces in scripturis pro angelis accipiantur. Si etiá de sanctis in genere, aut de sancta Ecclesia siue triumpháte, siue militante agendũ sit; præter illud nomẽ omnibus sanctis cõmune, quilibet etiá sanctus in genere, mysticè designatur: vt, cũ dicitur taurus, aquila, vestimentum, lux, sonus, mons, murus: sicut & martyres in specie dicũtur aut triticũ, aut ouis. Et sicut Ecclesia triũphans cõmuniter dicitur cælũ, arbor, virtus, atriũ, thronus, nubes, mater, vxor, Israël, ciuitas Hierusalẽ, Sion, domus Dei, templũ, tabernaculũ: ita Ecclesia militans, vocatur virgo, soror, mater, mulier, vxor, sponsa, corpus, venter, leæna, struthio, asinus, vitulus, oliua, liliũ, palma, panis, vestimentũ, candelabrũ, vter, mundus, Luna, aër, terra, petra, desertũ, ager, ouile, pascuũ, mons, Libanus, vinea, vrbs, ciuitas, templũ, altare, tabernaculũ, dominatus, regnũ cęlorum, ostiũ, porta, murus, maceria, specula, turris, sedes, cubile. quæ omnia, (vt prætermittamus Ecclesiæ vnionẽ, & Ecclesiasticorũ aut ordinationẽ aut gradus) in Ecclesię tractatu pleniori, vt illa superiora, in tractatu de Deo & angelis, veniunt consideranda. Quid hìc etiá cõmemoremus, eodẽ ordine sub hominibus, aut propriis, aut mysticis, tres gratię fontes, Fidem, Spem, & Charitatẽ cõprehensos. An fidẽ plenè tractare possis, sine consentaneis siue synonymis illius vocabuli, aut propriis aut mysticis? vt credendi, vt viæ, speculi, verticis, scientiæ, substantiæ, ostij, portæ, muri, nidi, carbonis, auri, cibi, panis, & regni Dei: aut verbũ [Fidelis,] sine suis synonymis? quæ sunt, amicus, testis, verus, virgo, filia, soror, aquila, nuis, asinus, messis, Iacob, Israël, Israëlita, vitis, frater, ager, palmes, vas, hæres. Si deniq; de bonis aut malis instituitur oratio, veluti de pace, aut bello, An pacẽ plenè quis potest, aut tractare secũdùm scripturas, aut vt par est intelligere, sinõ omnes eius comites, & cõsentaneas voces exploratas habeat? vt securitatẽ, tranquillitatẽ, propitiationẽ, placationẽ, animitatẽ, concordiam, consensum, conuentũ, congruum & contentũ: quæ singula verba vt suas sub se habent species, aut secum synonymas voces alias, sic & in pacis perfecta, & numeris omnibus cumulata pertractatione, veniunt cũ suis, suorũq; Concordantiis consideranda. Ná quæ pax, vbi nõ est pacificatio? quæ pacificatio, vbi non vnanimitas? quæ vnanimitas, si vel in vno aliquo, vel in veritate ipsa quæ omniũ vna est, non vnanimes? Quæ pacificatio, vbi nulla adhuc recõciliatio? quæ recõciliatio, vbi nulla mitigatio, aut propitiatio? quæ propitiatio, vbi nulla concordia? quæ concordia, sine consensu? quis consensus, vbi nullus conuentus mutuus? aut si sit, non cõtentus, aut nõ congruus. Tolle ergo vnũquoduis horum ita adinuicẽ concordantium, ita mutuo cognationis vinculo cohærentiũ, vt vno quouis horũ aut omnino, aut vlla ex parte sublato, tantũ & de proprio instituti vocabulo [pace ipsa] eodem momento tolletur.

Quod ipsum, ne me iudices tá mea authoritate, quæ nulla est, quá Augustini exemplo, in hac parte vt in aliis expressissimo ista excogitasse; Augustinus ipse super hęc verba Ioannis: *Hæc mando vobis vt diligatis inuicem*: pari Methodo cõsentaneorum [dilectionis] vt & ego hìc [pacis,] persecutus est explicationẽ. Ait enim. *Vnde Apostolus cũ contra opera carnis cõmendare fructus spiritus vellet, à capite hoc posuit: fructus, inquit, spiritus charitas est. ac deinde cætera, tanquã ex ipso capite exorta, contexuit: quæ sunt, gaudiũ, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, castitas. Quis autẽ, inquit, bene gaudet, qui bonum non diligit vnde gaudeat? quis pacem verã nisi cum illo potest habere, quẽ veraciter diligit? Quis est longanimis, in bono opere perseueranter manendo, nisi ferueat diligendo? Quis est benignus, nisi diligat cui opitulatur? Quis bonus, nisi diligendo afficiatur? quis salubriter fidelis, nisi ea fide quæ per dilectionẽ operatur? Quis veraciter mãsuetus, cui non dilectio moderetur? Quis ab eo continet se, vnde turpatur, nisi diligat vnde honestatur? Meritò igitur magister bonus sic dilectionẽ ibi commendat, tanquã sola præcipienda sit: sine qua nõ possunt prodesse cætera bona: & quæ non potest haberi, sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus.* Ex quo vno eius exemplo, discere licet, viá & rationem manifestissimá tractandi omnes & singulas voces in Concordantiis Sacris, aut synonymas, aut consentaneas: quibus vt Cõcordantiæ Sacræ Scripturæ abundant; ita per earũ vel consensum, vel concentum etiá maximè habent Concordátiæ, quòd ita appellentur. Et ideo docet hìc, primùm, ipsam principalem vocem de qua agitur, tanquã fundamentũ ponere: pòst, singulas voces, vlla ei communione aut sensus, aut consensus cohærentes, contexere. postremò, omnes & singulas vt videtis & in eius exemplo & in meo, sibi inuicem, & cum illa principali voce conferre: mutuúmque omnium & secum & cum ea consensum, & continuatum, & concatenatum ostendere. Et cùm vbiq; per vniuersum corpus scripturæ synonymorum & consentaneorum continuatur apparatus; tum eo aptior eorũ in applicando conditio, quo magis similis eorum ratio & consideratio: licet non in omnibus ita se habeant. vt si dissuadere quis vellet homicidium, quia clamet in cælũ; hoc ipsum [in cælum clamare] nõ tá in ipsa principali voce homicidij reperiet, quàm in vocis ei aut consentaneæ, aut synonymæ cõcordátiis, nẽpe sanguinis: vt cùm scribitur, vox sanguinis fratris tui Abel, clamat ad me de terra. Aut si quis ex Scripturis hoc adstruere velit: Qui occidit occidetur: non tá in voce aut [homicidij] aut [occidendi] quàm in concordantiis cognatæ sibi vocis siue gladij, siue percutiendi, hoc ipsum inueniet, nempe ibi; Qui gladio percutit, gladio peribit. Atque hæc hactenus de vsu & applicatione primæ partis nostræ Oeconomiæ: id est, de vsu & applicatione moraliũ. Iam verò in reliquis duabus, vel naturalium scilicet, vel artificialiũ; quid aut delectabilius, aut etiá vtilius sacrarum literarũ studioso contingere potest, quàm vt quoties rem vllá aut moralẽ, aut naturalẽ, aut artificialẽ quærat, toties & eá, & omnes alias ei aut synonymas, aut consentaneas aut ordine, aut vsu connexas, inueniat in vnum ordinem digestas? vt si vnum, exempli causa, elementum quærat, & omnia suo ordine eius tum superiora, tum inferiora, tum cosentanea reperiet. si vná herbam, aut animal quærat in vniuersa scriptura, eodem ordinis loco, analyticè digestas reperire possit siue herbas, siue aues, siue cætera animalia, non minus ad præsens eius institutum, sæpe etiam magis in contemplatione, aut pertractatione pleniori talium rerum, pertinentia. Aut si artificialem aliquam rem in vniuersa scriptura requirat, non modò eam ordine suo sitam reperiet, sed & omnes eius in scripturis vel synonymas, vel consentaneas ei aut nomine, aut re, aut ratione cohærentes (licet ordine alphabetico discrepátes) reperire poterit. veluti qui de gladio

Augustin. in Ioan. tract.

dio instituit sermonem, non minus vtile erit ad eius institutum, sæpe etiam magis, scire concordantias vocum ei synonymarum: vt ensis, romphæa & frameæ: nam quantum hæ voces aut harum concordantiæ, vel pro instituto eius, vel contra faciant; tantum & ipsa vox gladius, & eius concordantiæ propriæ aut pro illo, aut contrà facere iudicandum: cùm parium, vt dicitur, par sit ratio. Atq; hæc hactenus, de ipsa applicatione, & vsu huius nostræ Oeconomiæ dixisse sufficiat: quomodoq;, & cur non solùm ad voces singulas, sed & ad eas, quæ illis cognatæ, connexæque sunt, recurrere, easq; ad suũ quisque institutum traducere, & accommodare possit. Iam quantum ad Oeconomiæ nostræ & ordinis in ea vsum & vtilitatem attinet, non modò in specie patebit, per ea, quæ paucis post perstringemus; sed etiá in genere patuit, vel ex illa apud Xenophontem naui descripta, vel ex fasciculo illo Protagoræ, vel ex Aristotele in rebus naturalibus, vel ex Platone in artificialibus, vel deniq; in omnibus, quàm ordo, in se nullum non bonum complectatur, quàm prorsus nullũ sit sine ordine bonum: vt quicquid prauum, aut peruersum, id omne inordinatum, vbiq; dicatur. Quantũ autẽ ad naturalia, Quid, inquit Aristoteles (de ordine loquens, & eius decoro) hoc vno, in rerum natura esse potest præstantius? Quicquid etenim quis mihi protulerit, id partis cuiusdam instar, ad hoc collatum obtinebit: tum pulchrũ quod est omne, ab isto suum deriuat cognomen. tũ quicquid aptum est, & ordinatum, à decore nuncupatum concatenatur. & tandem concludens, Nec cælum, inquit, ipsum, aut cælestia vt Sol, vt Luna, vt sydera omnia, vt stellæ, aut tantum splendoris in se habitura, aut vtilitatis tantum humano generi allatura, sine ordine certo orbium cęlestium; sine ordinata motus sui serie; sine certa temporũ dispositione: quæ ratis suis ordinibus, Æstatem & Hyemem, diem & noctem, ad absolutam menstrui, annuique descriptionem spatij reducant.

Quantum autem ad artificialia, in eis quantum valeat ordo, vel Socrates in Gorgia Platonis demonstrat. Animaduertere, inquit, licet, ædificiorum nauiumq; fabricatores, cæterosq; id genus quoslibet artifices, quo pacto, quisque ad ordinis normam, quæcunque collocanda suscipiunt, collocent: compellantq; aptè sibiinuicem, decẽterq; cohærere, quoad totũ in egregiũ quoddam opus, ratione ordinis aptatum coaluerit. Atque sic, suo more, per cætera artium genera colligens; tandem ab externis ad interna progressus, Nec palęstræ, inquit, magistros, nec médicos, alio magis corpus aut curare, aut ornare eius partes, quàm ordine apto, & ordinis in eis debito ornatu. nec rem etiam domẽsticam, aut nauticá carere posse debito ordinis vsu & ornamento, in singulis administrandis. Nec corpus ipsum humanum deniq;, aut animam humanam, vel concinnam in se, vel expeditá esse ad suia expedienda, si non compos sit ordinis & concinnitatis, quæ ex eo emanat. Quantum autem ad Xenophontem, & ordinis vtilitatẽ; quàm præclara scilicet in se sit, & quàm permagni momenti, in rebus præclarissimis; ex deformitate perturbati ordinis, in rebus vel minimis ostendit. Cætera, inquit, in genere omnia, quæ quidẽ scitè ponuntur atque venustè, ad pulchritudinem commendantur. Singula enim, veluti chorum quendam instrumentorum musicorum, præ se ferre videntur. horum verò interiecta interualla, cùm singula sese offerant per suas classes, ordinesq; dispertita; perpulchra illa quidẽ videntur, veluti chorus in orbem ductus orbicularis; nõ tantũ ipse est aspectu iucundus, verùm etiam singula ipsius interualla, pulchritudine quadam nitoreq; elucescũt. Contra, ordinis perturbatio & defectus, consimile mihi quiddam esse videtur; tanquàm si quis colonus, hordeum, triticum, atque legumen promiscuè commiserit: quæ ei deinde cum panis, vel placentæ, vel obsonij vsus venerit, delegẽda sint, vbi quid è re nata, deprompturus, separatim velit repetere. Sed hęc eadem fusius idem, interprete Cicerone (vt eum citat Columella lib. 12. cap. 2.) Nam vetus, inquit, prouerbium est, paupertatem certissimam esse, cùm alicuius indigeas, vti ea non posse, quia ignoretur vbi proiectum iacet, quod desideratur. Itaque in re familiari, laboriosior est negligentia, quàm diligentia. Quis etiam dubitet, nihil esse pulchrius in omni vitæ ratione, dispositione ipsa, atque ordine: quod etiam ludicris spectaculis licet sæpe cognoscere. Nã vbi chorus canẽtium, non ad certos modos neque numeros præeuntis magistri consensit, dissonũ quiddam ac tumultuosum, audientibus canere videtur. At vbi certis numeris ac pedibus, facta conspiratione consensit, atq; concinuit; ex eiusmodi vocum concordia, non solùm ipsis canentibus, amicum quiddam & dulce resonat, verùm etiam spectantes audientesq;, lætissima voluptate permulcentur. Ex his ergo secularibus, si non aliunde, quantũ valeat ordo & oeconomia in rebus sacris, apparet. Et si suus ordo debet esse rerum siue secularium, siue sacrarum, cur non & verborum Sacræ Scripturæ: quæ nisi pro rerum, quas significant, ratione, respectu & ordine in Sacræ Scripturæ Concordantiis digererentur, planè iacerent confusa. Si etiam & animæ, suus est ordo; cur non & eis quæ animæ sunt, vtputa rationi, & orationi, & per consequẽs, & rebus & verbis ex quibus cõstat oratio omnis, siue secularis sit, siue sacra. An verò verborum soni, suos ordines habere debent, vt audientibus & prosint & placeant verba ipsa, suos ordines & classes certa quadam oeconomia distinctas, & distributas, non habebunt, vt magis ædificare possint? An in re domestica ordinem cõfundi, vt hordeum cũ tritico, aut vtrunq; cũ cæteris leguminibus, & inutile & indecorũ, vt cùm suus cuiq; per se vsus aut in pane, aut in potu, aut obsonio, pro re nata occurrat; præ confusione omnium, nec ordine ea colligere, nec apta ad vsum habere quis possit? in domo autem Dei, Ecclesia Catholica, in qua vna (vt scribitur) omnia debẽt fieri ordine, fruméta hæc spiritualia Sacræ Scripturæ, in Concordantiis confusa iacere, non eo magis & inutile & indecorum, quò maioris momenti omnia, quę vel animorũ, quàm corporũ sunt alimenta, in mẽsura, numero, & põdere dispensanda, ad Dei honorẽ (cuius sunt verba) & hominũ vtilitatem, quorũ sunt spiritualia pabula? Iá verò, vt aliqua etiá in specie de Oeconomię nostrę & fructu & fine dicamus, quod ipsum, ne mihi aut operi meo nimiũ tribuere videar, multis persequi opus non est: istud tantùm, & tutò asserere audeo; ita illud efformatũ à me, & elaboratũ esse; vt siue quis ab omni seculi strepitu seuocatus, vacare Deo, suauiterq; in lege eius meditari; siue in populo verba vitæ & salutis proponere; siue in scholis & academiis docere, aut disputare velit; singularem eum ex hac opera, & opere nostro, percepturũ esse vtilitatem: vtputa in quo simul, & sub vno quasi obtuitu damus, nõ solũ quod quis tractat aut cogitat, sed quod ad illud quod tractat, aut cogitat, quouis modo pertinere queat. Nec tantùm quot res, quæque in Scripturis vox, sed & quot voces rem vnam significant: illum ista ratione, non tantũ ad ea quæ non cogitabat deducentes, sed maiori & feliciori quàm putabat thesauro, locupletantes & exornantes: non secus, quàm si aureum vnum aut alterum quærenti, aceruus aliquis aut saccus auri plenus obueniret. Quod vnusquisq; non tam hæc legendo, quàm tentando persentiet: quodq; magnum est, partim exercitatione scrutandi, partim ipsa mentis inter scrutandum agitatio-

ne, partim materiæ ipsius quam scrutatur, fœnere, & fœcunditate, nouos indies fructus colliget: & varietate ac copia cognitionis in sacris literis, sese replebit. Nec mirum, cùm vt antè artes inuentas, omnia (artibus nunc conclusa) dispersa, & confusa iacebant; sic & in aliis concordantiis, sine omni methodo, Sacræ Scripturæ verba, dissecta erant: quæ nunc in hac nostra Oeconomia, *sic* ordine colligata, ratione distributa, & ad omnẽ vsum accommodata sunt, vt compendio quisque, non modò locum vbi quidq; latet tenere, sed & limites, intra quos sese cõtineat, percipere, & quò referendum, quóque sit ordine tractandũ cognoscere, & quod fructuosè facit, facilius minoriq; cũ labore facere possit. Sicut enim, aut librorum in capita, aut capitum in *sententias* distinctio, instituta fuit, vel ad tollendum continuum in legendo, sine vlla varietate, tædiũ; vel ad confirmandum ipsa distinctionis varietate legentiũ memoriam; vel ad dirigendum eorum intellectũ, ad profundiorem singulorum contemplationem: ita analytica hæc singulorum verborum in concordantiis œconomia, non modò ad expeditiorem rerum per eas designatarum inuentionem, sed & ad solidius tum de rebus, tum de verbis iudicium comparãdum plurimum valet, magnopereque iuuat. Confirmant hoc satis (vt institutiones, introductiones, ac repertoria in Iure, Medicina, ac aliis scientiis prætermittam) ea quæ in sacra Theologia à Magistro sententiarum, & sancto Thoma, in sua Summa, via exactissima, & methodo conscripta habemus compendia: in omnibus nunc bene institutis Academiis, non paruo cum studiosorum fructu, & prælectionibus illustrata, & in disputationibus proposita: vsqueadeo in eis, vt in aliis omnibus, Methodus omnia ornat, omnia ordinat, omnia suis locis collocat, suis finibus includit, debito suo situ ac serie disponit, omnibus placet, omnes ad se pertrahit, & inuitat.

